Aitzing, Michael von; Hogenberg, Franz [Ill.]: ... AD HISPANIAE ET HVNGARIAE REGES TERMAXIMOS. DE LEONE BELGICO, eiusq[ue] Topographica atq[ue] histo=rica descriptione liber: Quinq[ue] partibus Gubernatorum Philippi Re=gis Hispaniarum ordine, distinctus
Köln, 1588 Seite 61

LEONIS BELGICI DESCRIPTIO 1567.

LOCA | TEMPORA

SED & se, qui attendant, quanto animi angore conciones locis solitis sine scandalis & armis haberi permiserit, eos scire proculdubio quàm longè à sua mente abfuerit ipsorum exercitijs præbere consensum, puta vt noua sibi deligerent Consistoria vel Magistratus, collectas & onera subsidiaria Regis subditis imponerent, idque vt ipsi iactitant ad aliquot aureorum milliones: vt sacramentorum administrationem sibi vsurparent: vt in totam politiam confusum quoddam chaos introducerent, vt matrimonia suo ritu contraherent, vnde mira successionum confusio sequitur: vti denique ea facerent, quæ sub exercitiorum prætextu in suis concionibus non verentur attentare: è quibus pleraque cum sibi tum Regis, tum Magistratum authoritatem vendicent, se profectò valde sui fore immemorem si ijs assentiatur: cum præsertim sui officij sit, eam authoritatē tueri. Itaque se rectè ait Magistratibus contrariam mentem suam explicuisse. Si qui verò secus populo persuaserint. illorum esse, se apud illos excusare Iam quod ad libertatem attinet, eam eatenus datam, ne ipsis imputaretur libellus quinta Aprilis oblatus, non aūt quantum ad Religionem spectat, tametsi eò illam detorserint contra animi sui sententiam, Itaque iustam tum sibi indignationis causám suppetere ab ipsis ita animatum eò audaciæ processisse, vt sub Religionis prætextu vetita Religionis exercitia inuehat, suoq; nouo Magistratu Regium Magistratum in ordinem cogat: quod non modo non sit approbaturus vnquam Rex, sed etiam subditorum suorum auxilio vindicaturus.

8 m Aldenard — 1 2 Martij.

7 l Brugæ. — 2 11 Martij.

QVOD verò dicant ipsam venisse contra pacta conuenta, eius generis omnia niti falsa nimiumq; laxa verborum suorum interpretatione, recteq; quarundam vrbium, Magistratus ea non permisisse: qui tamen si modum exesserint, oportuisse ipsos ad se querelas deferre, vt remedium adhiberetur. interim aūt silentio præterire ipsos iconoclasmum, & templorum vastationes, quæ post eam conuentionem facta sunt, etiam antea in pagis tantum haberentur: item Ecclesias occupatas, monachos perfligatos, exteros concionatores accersitos, cum promisissent se conciones impedituros: in loca quædam ab his nouiatibus aliena, eos introductos: plebem ab ipsis animatum, regias domos occupasse, tormenta & bellica instrumenta cum suppellectili exportare, regios præfectos & Magistratus abijcere, ita, vt quidam non sine periculo euaserint: tum quoq; vrbes regias occupare, in aciem sub signis militaribus coire, minari cædem aut profligationem Ecclesiasticorum & regionum ministrorum, in quibus etiam ipsa nō sit excepta, & Catholicorum etiam: immò eos reipsa, diripere, inflammare, euertere monasteria, templa, ædes nobilium & aliorum, Hæc & pleraq; alia rescripsit Gubernatrix Brederodio.

7 n Valécenæ. — 3 13 Martij.

SECTARII contra iuramentum, ab ipsorum Consistorialibus prestitum mense martio ad concionem armati proruperāt [1] Aldernadi, propterea à die nona eiusdem mensis nulla est permissa concio. Brugenses, vt sectarios ministros à concionando deterrerent miserūt [2] certos homines ad locum concionis, qui ministrum iuberent crastina se luce sistere ad præstandum iuramentum, quemadmodum in alijs oppidis fecissent: ni id fecerint, scirent sibi concione interdictum iri, sed comparere non ausus, concionator fuga sibi consuluit.

TERTIA die pòst, Dux Arscotanus & Comes Egmondanus missi ad Valencenas sub fide publica euocarunt [3] ad se nonnullos eius oppidi incolas, quos vt sub horam pomeridianam collocutioni se darent, illi deputarent, verùm eo die nemo quisquam venit. Postero [4] verò die, vt pacis conciliandæ rationes nomine Gubernatricis proponendas audirent nonnulli venêre, quibus intellectis protinus discesserunt. Eodem ferè tempore etiam Princeps Auriacus & Comes Hochstratanus missi Antuerpiam persuadere conantur sectariorum capitibus, vt vel ad tres menses omitterent conciones, & interim ipsorum fana sigillo regio obsignarentur, sed frustrà.

10 k Antuerpia. — 4 14 Martij.

PHILIPPI REGIS NOMINE GVBERNANTE XXVI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/aitzing1588/0102
© Universitätsbibliothek Heidelberg
The Getty